



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. I. Deus infallibili perspicacitate ab æterno intuetur omnia futura
contingentia, etiam libera, secundùm proprias, & formales, ac singulares
cujusque rationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

*Esse Dei est
prius esse
creaturarum.*

nipotens, sicut est modò, etiam repugnet
produci chimera. Cum ergo esse Dei sit prius,
quàm esse creaturarum, & tale esse sit distin-
ctum realiter à Deo; optimè stat, quòd Deus
sit, etiam si creaturæ possibiles non sint; sed sint
impossibiles; imperfectio enim non intelligen-
di hoc stat; quia nos concipimus omnipoten-
tiam, ut relatum ad terminum, quæ ita non est,
sed solum est virtus absoluta producendi, quid-
quid non implicat contradictionem. Ulque-
adhuc Felix.

*198.
Omnipoten-
tia est attri-
butum abso-
lutum in
se esse.*

Breviter dico: sicut se habet res ad esse,
ita etiam cognosci, sed omnipotentia est
attributum absolutum in suo esse; ergo eti-
am in cognosci: porro ex imperfectioe intel-
lectus nostri provenit, quòd eam concepiamus
eum respectu ad creaturas; esto à parte rei
non sit nisi virtus absoluta producendi, quid-

quid non implicat contradictionem. Sicut ergo
Deus aon definit esse omnipotens, tamen ne-
queat producere chimera; sic indidem non
definere esse omnipotens, si finia definere
esse possibilis; quàmvis tunc non posset eam
producere; & idem est, quàmquam omnia pos-
sibilia definere esse talia; adhuc quippe om-
nipotentia retineret primum suum & prin-
cipale objectum, scilicet objectum increatum,
seu essentiam divinam, quandoquidem, ut sup-
dictum est, ipsa non distinguatur à voluntate,
sive volitione actuali. Et hæcenus quidem de
scientia Dei circa objectum creatum possibile.
Sequitur, ut eam intueamur, prout versatur
circa objectum creatum futurum, & in primis
circa futurum contingens absolutum, pro quo
instituitur.

SECTIO QVINTA.

DE SCIENTIA DEI CIRCA FUTURVM CONTINGENS ABSOLVTVM.

*1.
Quid sit
futurum.*



*Omne futu-
rum est con-
tingens.*

*Deus potest
dici agere
contingenter*

Uturum est illud, quod non est in
hoc instanti, erit tamen in tempore
sequenti. Porro omne futurum
dici potest contingens, vel natura-
le, vel liberum. Contingens naturale provenit
à causa naturali, quæ, quàmvis ex se sit deter-
minata ad hunc effectum, & propterea ab ali-
quibus vocetur futurum necessarium; equidem
potest impediri vel ab aliis causis naturalibus,
aut certe à causa prima, quo minùs talem effe-
ctum producat; quidni ergo vocari possit effe-
ctus contingens, id est, qui potest esse, & non
esse? Cùmque id locum habeat in omni ente
creato, sequitur manifestè, omne ens creatum
quodam modo esse contingens. Atque
sed Deus potest commodè dici agere con-
tingenter, sive esse causa contingens, id
est, esse contingens in causando, sic ut
hæc contingentia activa (ut ita loquar). sit
idem, quod libertas, quæ dicit perfectionem
simpliciter: licet contingentia passiva, quæ est
contingentia in essendo, imperfectio sit, &
idèò Deo nequeat competere.

*2.
Est semen-
tia Scoti.*

Scitè ergo dixit Scotus 1. dist. 2. q. 2. §. O-
stenso esse, n. 20. Aliquid causatur contingenter:
ergo prima causa contingenter causat; ergo volens
causat. Probatio prima Consequentia: qualibet cau-
sa secunda causat inquantum movetur à prima: ergo,
si prima necessariò movet, qualibet alia necessariò
movetur, & qualibet necessariò causat: ergo si ali-
qua secunda causa contingenter movet, & prima con-
tingenter movebit; quia non causat secunda causa,
nisi in virtute prima causa, inquantum movetur à
prima. Sed de hæc doctrina Scoti alibi latius; vi-

deatur Smising tr. 3. disp. 2. à n. 43. sufficiat,
hic eam insinuasle.

Rogat aliquis, quid sit contingens liberum.
Respondeo: quod provenit à causa libera, li-
berè operante, scilicet à voluntate creata, vel
increata; & hoc propriè vocatur contingens
(ut notat Felix de Scientia c. 5. n. 1.) de cuius
præscientia in Deo, impræsentiarum maxime
disputatur; & quidem hac Sectione de contin-
genti absoluto, id est, quod absolute futurum
est; sequenti autem Sectione de contingenti
conditionato, quod absolute non est futurum,
sed ex suppositione alicuius conditionis ante-
cedentis, ut ibi plenius dicetur. Incipio ab eo,
quod tertium est, si non ex lumine naturali, sal-
tem ex fide, & dico primò:

CONCLUSIO I.

Deus infallibili perspicacitate ab
æterno intuetur omnia futura
contingentia, etià libera, secun-
dum proprias, & formales, ac
singulares cujusque rationes.

Probat ex Scripturis, Ecclesiastici 23. v. 28.
& 29. Oculi Domini multò plus lucidiores sunt
super solem, circumspicientes omnes vias hominum,
& profundum abyssi, & hominum corda intuentes
in absconditis partes. Domino enim Deo, antequam
crearentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum
respi.

respicit omnia. Et quis dubitet, Deum post perfectum respicere omnia, secundum proprias, & formales, & singulares conjunctas rationes? Ergo similiter antequam crearentur. Et quid sunt, antequam crearentur, nisi futura contingentia naturalia, vel libera? Hinc idem Auctor cap. 42. vers. 19. ait: *Cognovit Dominus omnem scientiam, & inspicit in signum avi, annuntians qua praevenierunt, & qua superventura sunt, revelans vestigia occultorum.* Et Isaias Prophetica cap. 41. vers. 23. Annuntiate (inquit) quae ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos. Ubi significat, praescientiam futurorum esse proprium Deitatis insignem. Quare dici non potest, eam futurorum praevisionem esse conjecturalem; quia talem etiam intellectus creatus assequi potest.

5. Omnis brevitas gratia, alias innumeras Scripturas: unam tantum adhuc addo cum explicatione D. Augustini. Et quae illa? Prophetia Regius Psalmo 138. vers. 3. & 4. aliquando eccinit, & usque modum cantat de Deo: *Intellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam & funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas praevidisti.* Ubi D. Aug. Non dixit: *Vidisti, sed, praevidisti, antequam eas irem, antequam eas ambularem, praevidisti eas.* Et quid aliud clamant omnes Prophetiae, quarum majorem partem impletam esse videmus? Ut directè dixerit Tertull. lib. 2. contra Marc. c. 5. *Quot Deus fecit Prophetas, tot habet testes praescientia sua.*

6. Quid ergo sibi vult Spiritus sanctus, quando per os Ezechiel. cap. 2. vers. 4. & 5. ait: *Hac dicit Dominus Deus. Si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant? Et Ieremias c. 26. v. 2. & 3. Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & convertantur &c.* Item Matth. cap. 21. vers. 37. *Verebuntur forte filium meum.* Ita legit Smiling supra num. 85. quamquam in biblia vulgari ly forte omissum sit. Numquid ly, forte, ideo additum fuit, ut significaretur, quod divina praescientia futurorum non sit infallibilis?

7. Minimè gentium. Ad quid ergo? Primò (ut notat Smiling supra num. 86.) ad significandum, futurorum eventum esse hominibus incertum: & ideo humano modo Scriptura de illis loquitur dubitative. Ita Augustinus in illud Psal. 2. vers. 12. *Ne quando irascatur, ait: Nequando &c. cum dubitatione positum est, non secundum visionem Prophetam, cui certum est; sed secundum eos ipsos, qui monentur, quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur.* Eadem est expositio Ambr. lib. 2. de Penit. cap. 5. *Non ignorantia (inquit) eo verbo, forsitan, exprimitur; sed in Scripturis divinis frequens hujusmodi consuetudo advenit, ut quod simplex sit elocutio; ac si dicat, juxta usitatum hominibus loquendi modum.*

8. Secundò, propterea sic loquitur Scriptura, ut significet, non obstante illa praedictione, nihilominus liberum homini servari arbitrium; adeò, ut possit in sensu diviso oppositum facere.

re. Verbum ambiguum, forsitan (inquit Hier. in c. 26. Ierem.) majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium. Tertium interduum Scripturae est ostendere difficultatem futurae rei in se, ob quam naturam suam est dubii eventus, ut Greg. exponit Hom. 18. in Ezech.

Quartò, tanta est malitia humana, ut eam in se spectata, vix aliquid boni possit de illa expectari & praedici; unde, ad eam malitiam exaggerandam, & increpandam Scriptura hoc utitur loquendi modo. Ita Aug. tr. 37. in Joan. exponit illud c. 8. *Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis, dicens: Ille, qui omnia scit, cum dicit; forsitan, non dubitat, sed increpat . . . dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante, quia nesciente; cum verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione, arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Tandem (inquit Smiling sup.) addi potest, particulam, forte, idem esse in Scripturis allatis, quod eccè, ut exponit Anselmus Laudunensis Glossae interlinealis Auctor: Unde Matth. 11. v. 23. pro, forte, in Graeco est, *utique*, ut ibi observavit Cajetanus & Janfen. cap. 47. Concord. & Alii, quos citat Smiling, & concludit. Itaque Scripturae illae nihil pugnant cum proposita fidei assertionem.

Sed nunquid tantum assertio fidei, & non etiam veritas, naturali ratione demonstrabilis, & explicabilis? Oportet intellectum divinum (inquit praefatus Auctor supra num. 88.) iudicatione intellectus esse infinitum, quemadmodum cetera infiniti entis attributa, necesse est in suo genere, seu sub sua formali ratione esse infinita, atque ad intellectum infinitum pertinet, scire omne verum, cum in tali scientia nulla imperfectio involvatur, & infinitum debeat complecti omnem perfectionem sibi composibilem in eo ordine, in quo infinitum est: ergo necesse est, divinum intellectum scire omne verum. Quod proinde adeò est evidens, ac Deum esse ens infinitum, seu esse Deum.

Scitè ergo dixit D. Aug. de Civit. lib. 5. cap. 9. circa principium: *Nam & consueti esse Deum, & negare praescium futurorum, apertissima negare praescientia Dei insania est.* Loquitur contra Ciceronem, qui negabat praescientiam futurorum, ut salvaret liberam hominis voluntatem. De quo utique Cicerone sic ait circa finem d. cap. *Aut enim Deum esse negat (quod quidem inducta alterius personae in libris de Deorum natura facere molitus est) aut si esse consuetur Deum, quem negat praescium futurorum, etiam sic dicit nihil aliud, quam quod ille dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Qui enim non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus.* Quae ratio B. Aug. (inquit Smiling sup.) supponit, futura contingentia esse scibilia, & determinatè vera, quod restat probandum.

Probatur autem ex eodem Auctore n. 89. quia propositiones de futuro contingenti enumerantes aliquid, quod reipsa futurum est, sunt determinatè verae veritate formali: ergo ipsum

D. Hier.

Tertia, ex D. Greg.

9. Quarta.

D. Aug.

Rhima ex D. Ansel.

Cajet. Janfen. Smil.

10. An Consuetudo sit ratione naturali demonstrabilis.

Intellectus divinus debet esse infinitus.

11. D. Aug.

Qui non est praescius omnium futurorum, non est Deus.

12. Probatur ex Smil. futura

ingentia
esse deter-
minatè ve-
ra.

Arist.

13.
Probatur
propositiones
de futuro
contingenti
esse deter-
minatè ve-
ras.

Antecedens autem principale (de quo est difficultas) probatur primò, quia propositiones de subiecto universali, vel particulares de subiecto communi, enuntiantes quidpiam de futuro contingenti, sunt determinatè veræ aut falsæ, v. g. istæ: *Omnis homo curret cras*, *Aliquis homo peccabit cras*. Ergo idem est de propositionibus de futuro contingenti, quæ constant subiecto singulari, v. g. de hac: *Petrus curret cras*, *Petrus peccabit cras*. Consequentia probatur: quia ad veritatem universalis requiritur veritas omnium singularium, & ad falsitatem ejus sufficit falsitas vel unius singularis. Ut ergo hæc sit vera: *Omnis homo peccabit cras*, etiam illa debet esse vera: *Petrus peccabit cras*; ut autem sit falsa, sufficit, ut vel hæc, vel alia similis sit falsa. Et idem est de hac propositione particulari: *Aliquis homo peccabit cras*, ut patet consideranti.

Confirmatur
ex Fo-
lice.

Confirmatur (inquit Felix supra num. 6.) quia, si tales propositiones non sunt determinatè veræ vel falsæ; ergo, qui diceret hanc propositionem: *Petrus peccabit cras*, fallum diceret. Probatur: nam affirmat ut verum, quod determinatè non est tale: ergo aliqua propositio singularis de futuro contingenti est determinatè falsa.

14.
Secunda
probatio.

Probatur secundò, quia hæc propositio disjunctiva: *Vel Petrus cras peccabit, vel non peccabit*, est determinatè vera juxta principium communissimum: *Idem non potest simul esse, & non esse*, cui æquipollet: *Impossibile est aliquid neque esse, neque non esse*, utique determinatè; aliàs, ut notat Smiling supra num. 91. cum omnis vis Syllogistica fundetur in illo principio, nihil determinatè posset per Syllogismum concludi. Ergo altera pars est determinatè vera, & altera falsa: si enim detur medium, non est disjunctio adæquata. Confirmatur: quia contradictoriarum si altera est determinatè falsa, altera est determinatè vera: jam autem contradictoria sunt: *Peccabit, vel non peccabit*, &: *Neque peccabit, Neque non peccabit*. Sed hæc est determinatè falsa juxta principium sup. positum; ergo prior determinatè vera.

Smiling.

Confirmatur.

Quid miramur? Inter verum & falsum non datur medium, opponuntur namque contradictoriè, vel saltem privativè. Quippe veritas est conformitas ad rem, falsitas verò privatio illius conformitatis. Igitur si quis ab æterno dixisset de Petro, pro tali tempore non peccabit, si verè peccet, dixisset falsum: ergo qui dixisset, peccabit, dixisset verum. Sed Deus ab æterno scivit Petrum peccaturum, vel non peccaturum; ergo ab æterno verè potuit dicere, *Petrus peccabit, vel non peccabit*: Ergo propositiones singulares de futuro contingen-

15.
Inter ve-
rum &
falsum non
datur me-
dium.

ti habent determinatam veritatem; vel falsitatem.

ti habent determinatam veritatem; vel falsitatem.

Quid dubitas? Nonne Deus revelavit, Petrum esse peccaturum? Amen dico tibi (ait Deus deus Christo Petro Math. 26. verl. 34.) quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ergo determinatè illud Christus sciebat. Alioquin, quomodo verè tale peccatum revelasset? Censet, quia Deus ab æterno non scivit, me modo scribere? Ergo ab æterno cognovit hoc esse verum determinatè; aliàs scientia Dei variaretur, & augetur in tempore: jam enim aliquid sciret, quod ab æterno non scivisset. Respondent Aliqui: Deum talia futura cognoscere, non prout futura sunt, sed prout sunt præsentia in æternitate.

Sed contrà (inquit Felix supra num. 5.) quia vel loquuntur de præsentia objectiva, vel de præsentia reali; si de objectiva, argumentum tenet; nam futura, ut futura, objectivè sunt præsentia in mente Dei: ergo si propositio de futuro, est determinatè vera, prout est futura. Si de præsentia reali, etiam argumentum est efficax; quia, præterquam quòd talis præsentia est fictitia, si res futura est realiter præsens in æternitate; ergo erit determinatè futura; quia si non est determinatè futura, quomodo poterit esse realiter in æternitate præsens? In æternitate præsens est, quòd res erit, non verò, quòd res non erit.

Igitur in Deo dari infallibilem præscientiam futurorum contingentium, non solum ex fide notum est; sed etiam ex ratione naturali, non minùs, quam Deum esse infinitum, & esse Deum. Ipse etenim est agens intellectuale, & universale, ac provisor omnium, teste D. Augustino loc. supra cit. ibi: *Spiritus ergo vita, qui vivificat omnia, creator, que est omnis corporis, & omnis creati spiritus, ipse est Deus, spiritus utique non creatus. In ejus voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum voluntates bonas adjuvat, malas judicat, omnes ordinat, & quibusdam tribuit potestatem, & quibusdam non tribuit. Et quomodo posset omnes debite ordinare, nisi sciret omnes eventus futuros? Quomodo non posset falli in sua dispositione, seu gubernatione, & privari finibus à se intentis?*

Neque hanc veritatem negavit Aristoteles (quidquid Aliqui asserant) teste Smiling supra numero 122. qui num. seqq. fusè agit de mente Philosophi: ejus tamen (inquit Heriox sup. num. 28.) mens parum debet esse nobis curæ in re ex fide, & ratione adeò manifesta. Hinc breviter dico: quando Aristoteles dixit: *In futuris contingentibus non est determinata veritas*, solum negavit, propositiones singulares de futuro contingenti habere veritatem vel falsitatem determinatam ex natura rei, id est, non esse alteram partem contradictionis ita veram vel falsam, ut veram repugnet ex natura rei esse falsam, & falsam repugnet ex natura rei esse veram. Juxta quam expositionem (inquit Smiling. sup.) doctrina Aristotelis nihil

hil pugnat cum divina præscientia futurorum contingentium: quia licet neutra pars complexionis contingentis sit vera vel falsa determinatè ex natura rei, potest esse vera vel falsa determinatè, prout determinatum opponitur confuso, & ita potest altera pars esse scibilibis determinatè & inconfusè. Sic ille.

20. Rogas; à quo habeat illam determinationem, si non ex natura rei? Respondeo: dependenter à voluntate, seu alia causa; cum enim res futura nondum sint positæ extra suam causam, manet in potestate causæ, eas ponere, & non ponere; & ita nondum sunt determinatæ, sed determinandæ in esse existentie, licet sint determinatæ in esse objectivo in divina voluntate & præscientia, seu in esse voliti & scibilibis ac præsciti.

21. Ex quo patet discrimen inter has propositiones, & propositiones de præscitiis, & præteritis, quod hinc verbis tradit Scotus 1. dist. 39. q. un. 5. Ad argumenta principalia, n. 26. Ad primum pro prima questione (quod tale erat: Secundum Philos. in futuris contingentibus non est determinata veritas: ergo nec scibilibus determinata) dico: quod non est similis veritas in illis de futuro, sicut in illis de præscitiis, & de præteritis. In præscitiis quidem, & præteritis, est veritas determinata, ita quod alterum extremum est positum, & ut intelligitur positum, non est in potestate causæ, ut ponatur, vel non ponatur, quia licet in potestate causæ, ut prior naturaliter est effectus, sit ponere effectum, vel non ponere: non tamen, ut effectus intelligitur jam positus in esse. Talis autem non est determinatio ex parte futuri; quia licet alicui intellectui sit una pars vera determinatè, & etià una pars sit vera in se determinatè, licet eam nullus intellectus apprehenderet, non tamen ita, quin in potestate causæ sit, pro illo instanti ponere oppositum. At ista indeterminatio sufficit ad consiliandum & negotiandum: si autem neutra pars esset futura, non oporteret negotiari vel consiliari: ergo quod altera pars sit futura, dum tamen reliqua possit evenire, non prohibet consiliatorem & negotiatorem. Sic ille. Patet; quia non prohibet contingentia, seu indifferentia ad esse & non esse, cum talis veritas seu futuritio non oriatur ex natura rei, sed ex libera & contingentia voluntate; atque adeo absolutè, & simpliciter non est necessaria, sed solum necessitate consequentia; nam absolutè est libera, de quo plura Conclus. sequenti.

22. Tantum præmitto unam objectionem contra præsentem Conclus. Futura non habent determinatam entitatem: ergo nec veritatem. Antecedens probatur; nam non habent in sua causa, quæ est indifferens ad utramque partem, neque habent in seipsis, cum non sint extra causas: ergo nullo modo habent entitatem, nec veritatem, & per consequens determinatam cognoscibilitatem. Respondet Felix sup. n. 7. quod futura non habent determinatam veritatem in sua causa, sed tantum secundum esse, quod habent causæ in esse objectivo, & habebunt à causa in esse existentie, quod esse futurum objectivum sufficit, ut cognoscatur à Deo: sicut esse objectivum præsens præteriti

Tentus I.

sufficit, ut cognoscatur res præterita, ut præterita. Nam sicut præteriti manet aliqua imago præsens, per quam ut objectum vel habitum &c. est representabile; ita ad existentiam futuri potest præcedere aliqua imago, per quam ut objectum vel habitum &c. representetur. Sic ille. Quæ sit autem hæc imago in Deo, infra suo loco dicetur.

Nunc urget præcipua difficultas, propter quam Cicero negavit Deo præscientiam futurorum; scilicet concordia ejus cum libertate arbitrii. Sic enim loquitur Augustinus supra In liberis de Divin. ex seipso (Cicero) apertissime oppugnat præscientiam futurorum; hoc autem totum facere videtur, ne satum esse consentiat, & perdat liberam voluntatem.

Et infra: Quid est ergo, quod Cicero timuit in præscientia futurorum, ut eam labefactare disputatione destabili niteretur? Videlicet, quia, si præscita sint omnia futura, hoc ordine venient, quo ventura esse præscita sunt. Et si hoc ordine venient, certus est ordo rerum, certus est ordo causarum. Non enim aliquid fieri potest, quod non aliqua causa efficiens præcesserit. Si autem certus est ordo causarum, quo sit omne, quod sit, saro inquit, sunt omnia, quæ sunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullaque est arbitrii voluntatis. Quod si concedimus, inquit, omni humana vita subvertitur: frustra leges dantur: frustra oburgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur: neque ullæ justitiæ boni præmia, & malis supplicia constituta sunt. Hæc ergo ne consequantur indigna, & absurda, & perniciofa rebus humanis, non vult esse præscientiam futurorum: atque in has angustias Cicero coarctat animum religiosum, ut unum eligat de duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum: quoniam utrumque arbitratur esse non posse; sed, si alterum confirmatur, alterum tolli: si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus & doctus, & vita humana plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberam voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum: Atque ita, dum vult facere liberos, facit sacrilegos. Ita Augustinus refert sententiam Ciceronis.

24. Sed nunquid ei subscribit? Absit à tanto Doct. Ecclesiæ, ut velit homines facere sacrilegos. Quid ergo? Religiosus, inquit, animus utrumque eligit, utrumque consuetur, & fide pietatis utrumque confirmat. Liberos facit homines, & religiosos, non sacrilegos, quæ est doctrina Catholica ab omnibus Catholicis propugnanda. Quapropter dico secundò:

N 2. CON: